



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XII. Generalis magistratuum diuisio ex modo practico Reipublicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

uimus, ut hos quos in officium nos patrum prouebimus nostrorum, hi sub aliena sint potestate. Nam si emancipationis actio dudum quidem & per eas quae nuncupantur legis actiones, facta cum iniuriis, & alapis, liberabat eos huiusmodi vinculis; quomodo futuri essent Codicilli omnium honestissimi dati à praesidente vniuersi imperio, non eos posse paterna potestate liberare? Nunc autem clementius aut etiam honestius in Republica cogitantes: Sed super gloriosissimis consulibus, qui proprium nomen ipsi post imperium praebent, & solis consularibus Codicillis honorantur: & super cingulis quae liberare à curia possunt, hoc est, praefectura & magistri militum: dicimus autem in ipsis sedibus & operibus agnitis hoc ipsum sancimus esse, ut omnis talis dignitas, aut etiam cingulum huiusmodi acquisitum aliquibus quoscumque nos probauerimus, quod eos liberet, à curia hoc valeat, & ut potestate eos liberet patrum & auorum. Nam si sancimus, ut si quis seruis sciente Domino mereatur militiam, aut quamlibet dignitatem adipiscatur, repente ab imperio liberetur, & in ipsam rapiatur ingenuitatem, quomodo non est iustum, tantos promerentem Codicillos, non etiam paterna potestate liberum fieri?

Verum nusquam tanta copia est honoratorum Ducum, & qui sine magistratu magni sunt, quam in Hispania, praeter commendas enim, aliaque dignitatum praefidia, sunt equites aurei velleris, sunt quos vocant Los grandes, alijque, quorum dignitas non minor est eorum, qui in negocijs imperijsque versantur, quin & illi in consilio, & partium gubernatione vtilissime versantur.

CAPVT XII.

Generalis Magistratuum diuisio ex modo practico Reipublicae.

Circa homines reges, duxes, principes, magistratus, & iudices, circa alias res quae flores.

§. 1. **M**agistratum, qui subordinati sunt, & parum necessitatem cum imperandi iure coniunctam habent, in regnis & Rebus publicis duplex ordo constituitur. Nam alij in hominum gubernatione, alij in opum publicarum administratione versantur. In hominum gubernatione sunt, qui eos ad finem Reipublicae dirigunt, ut secundum virtutem viuant, felicesque euadant, quorum varia sunt munia, quot scilicet actiones honestae, quae ad bonum publicum imperantur, & prauae, quae ventantur. Cum autem frequenter controuersiae, litesque oriantur, nec constet, quid aequum bonumue sit, in omni bene constituta Republica cognitores iudicesque sunt constituti. qui ambigua definiant, qui quidem reuera publicani habent, eamque magnam potestatem. Qui igitur cetera disponunt, & patriae consulunt, simpliciter Magistratus vocantur, quales erant Romae Consules, qui controuersias decidunt, tantum eos subditos habent, qui iure confertum manus veniunt, & in ea duntaxat causa, quae illis commissa iudicibus est. Eos Iuridicos, Iudicesque dicimus, ejusmodi Romae Praetores erant.

Quaecumque sunt patriae publicae ad quaestorem pertinent.

Alterum genus Magistratum est, quod rebus patriae acquirendis, augendis, conseruandis occupatur, quod generatim ad Quaestores, quod quaestui Reipublicae curam impendunt, pertinet. Patrimonio itaque publici, hoc est, vectigalium omnium, reddituumque, aedium publicarum, portuumque sunt curatores. Omne igitur regnum, omnis Republica, Consulari, Pratorio, Quaestorio magistratu perficitur, atque ad haec genera omnia officia ac dignitates referuntur. His igitur more antiquo constat ciuitas, & haec cura Monarchae, optimaribus,

populo incumbit, ut designati Magistratus recte iustaeque gubernent, ius accurate dicant, opus integre, pureque tractent. De his igitur ex antiquis, nouisque moribus & legibus dicam. Verum quia opus est in tanta rerum varietate, stabili, sapientique consilio, quod in Aristocratia, & Politia Senatuum, in Monarchia consilium communi nomine dicimus, alibi Consistorium, alibi Parlamentum vocatur, inter quae si omnia legitime administrantur, non est alia distinctio. Nisi quod consilia Monarcharum ab illis pendeant, in Aristocratia libera sint, in Politia populi suffragijs firmentur. Haec inquam, si legitime omnia administrantur, Respublica bene geritur. Nam ex virijs consulentijs, & sententijs dicentium multa discrimina nascuntur. Proprium liberi Senatus malum est, populi oppressio, nobilitatis euectio, nec minus est in Senatu populari periculum popularitatis, quam primum Athenae, deinde Roma periit. In consilio Monarcharum haecenus obfuit metus, & adulatio. Respublicam consilio, deinde suis Magistratibus, hos suis legibus instruamus.

CAPVT XIII.

Senatus idoneum legendum esse, eiusque leges, itemque de Consiliarijs.

§. 1. **S**enatus tam in libera Republica, quam in Monarchia dignitas praecipua sit, & potestas. Dignitas quidem ex genere & censu, sed magis prudentia, virtutisque delectu. Senatum Moyse dedit Deus, quamuis enim cum ipse edoceret, quamuis bis quadraginta dies, noctesque in monte instruxisset, quamuis facie ad faciem velut amicus illi loqueretur, Septuaginta tamen Seniores illi adiunxit, quibus dedit de spiritu suo, ut ostenderet, se eos, qui ad consilium publicum legitime vocarentur, singulari numine, ac benignitate fouere. Id adeo verum est, ut improbilissimorum hominum egregia decreta, sanctissimasque sententias & leges videamus, & vtamur quotidie Republica, quam illi instituerunt. Cum vero in consilio publico opus sit summa auctoritate, hinc antiquitus factum est, ut Regibus à consilijs sint illi, qui proximi sunt dignitate; Itaque septem Principes Persarum fuere, de quibus scribit Artaxerxes 1. Esdræ 7. versic. 14. *A facie enim Regis, & septem consiliatorum eius missus es, ut visites Iudaeam, & Ierusalem.* Et versic. 15. *Rex & consiliatores eius munera afferunt.* Itaque Esdras ait, *Deum inclinasse misericordiam suam coram Rege, & consiliatoribus eius, & vniuersis Principibus regni potentibus.* Inter summa bona Deus recenset consiliarios, Isaia 1. versic. 25. *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriā tuam, & auferam omne stannum tuum.*

Et Prouerbiorum 15. versic. 22. *Dispersantur cogitationes, ubi non est consilium: ubi vero sunt plures consiliarii confirmantur.* Verissime etiam Aristoteles, Consiliarios eorum, quae inter homines sunt, esse diuissimum. Romanus Senatus etsi esset de facie Romuli, Cynae tamen confessus Regum videbatur. Orbis terrae consilium, ordo amplissimus, decus imperij vocabatur; verum in illo Senatu, si vtrunque laudationes illae speciem veri habuerunt, in hodierno imperio verissimae sunt.

Quis n. neget Senatum Germanici imperij concessum esse Regum, in quo Imperator Romanorum praesidet, septem electores quorum vnus potentiam, & insignia Regis praefert, ceterorum est pene Regia potentia, & trium Sacerdotum maiestas. His accedunt

Senatus in omni Republica necessarius.

Imperii Germanici senatus regius est.